

tæ, futurum est; necessario colligitur, visionem Dei claram seu immediatam & intuitivam essentiæ divinæ, & quæ in ea formaliter sunt, cognitionem, ita reservatam esse vitæ futuræ, ut prorsus non habeat locum in hac vita. Unde porro lequitur, temerarium esse atque irreligiosum, hominibus aliquid in hac vita obtainendum polliceri, quod Deus ipse non in hac vita, sed demum post hanc vitam, impetratum iri, testatus est. Cumque Apostolus se ipsum etiam eorum numero comprehendat, qui non de facie ad faciem, sed per speculum in ænigmate cognoscant: qua fronte fidelibus quibuslibet sublimior in hac vita cognitio Dei tribuitur? Cognitio, inquam, Dei in hac vita, quanta quanta est, intra genus cognitionis *abstractivæ*, quæ intuitivæ contradistinguntur & opponitur, subsistit, juxta Apostolum: tantum abest, ut præter abstractivam, etiam intuitivam complectatur. Neque distinctio inter cognitionem intuitivam quæ *ad tempus*, & eam, quæ *sine fine*, seu incessanter atque æternum concedatur, citra manifestam absurditatem huc accommodari potest: cum Apostolus cognitionem Dei intuitivam non solum non perpetuam, sed prorsus non locum habere in hac vita pronunciet.

XXVI. Æque clara, si non clarior, est sententia S. Johannis, qui i. Ep. Cap. III, 3. scribit: *Charissimi, nunc filii Dei sumus, sed nunc nondum apparuit, quid futuris sumus; scimus autem, quod cum apparuerit, similes erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est.* Videre Deum sicuti est, est Deum intuive cognoscere. Hoc autem quando *nunc nondum apparuisse* dicit Apostolus, simul dicit, hoc nondum in hac vita cuiquam obtigisse: Ita negat, sibi & quos *charissimos suos* vocat, filiis Dei contigisse. Quod si vero visio intuitiva Dei saltem ad tempus in hac vita concederetur filiis Dei, sane apparuisset hactenus, quid futuri sumus, ac futurus ille status ei, quod jam hactenus adfuit, tantum constantiam aut perpetuitatem adderet. Atqui Apostolus rotunde negat, *nunc apparuisse*, quid futuri sumus.

XXVII. Sed Georgius Keibus affirmativam suam sententiam *tum ex multis scripture locis, cum ex multorum milium sanctorum in*